Entstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Quia scio quæ fecisti filijs israel mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, et iuuenes eorum in ferro gladio, et paruulos eorum elides, et prægnantes diuides. Quisquis azahel. Ecce enim ego seruus tuus sum, vt faciam rem istam magnam. Et ait heliseus. Ostendit mihi dominus te regem syriæ super me. Cumque recessisset ab heliseo, venit ad dominum suum. Cui ait ei. Quid tibi dixit heliseus. At ille respondit. Dixit mihi recuperabis sanitatem. Cuius vesperi dies altera, tulit stragulum, et immersit aqua, et expandit super faciem suam. Cumque mortuus esset regnauit azahel pro eo. Anno quinto ioram filij ahab regis israel regnauit ioram, filius iosaphat regis iuda. Triginta annorum erat et duorum cum regnare cepisset, et octo annis regnauit in iherusalem. Ambulauitque in viis regum israel, sicut ambulauerat domus ahab, filia enim ahab erat vxor eius, et fecit quod malum est coram domino. Noluit autem dominus disperdere iudam, propter dauid seruum suum, sicut promisit, vt daret illi lucernam, et filijs eius cunctis diebus. In diebus eius recessit edom ne esset sub iuda, et constituerunt sibi regem. Venitque ioram saira et omnes currus eius cum eo. Et surrexerunt nocte, percusserunt idumeos qui circumdederant eum principes curruum. Fugiuit autem fugit in tabernacula sua. Recessit ergo edom ne esset sub iuda, vsque ad diem hanc. Tunc recessit et lobna in tempore illo. Reliqua autem sermonum ioram et vniuersa quæ fecit. Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda. Et dormiuit ioram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in ciuitate dauid, et regnauit ahazias filius eius pro eo. Anno xij mo ioram filij ahab regis israel regnauit ahazias filius ioram regis iuda. Triginta duorum annorum erat ahazias cum regnare cepisset, et vno anno regnauit in iherusalem. Nomen matris eius athalia filia amri regis israel. Et ambulauit in viis domus ahab, et fecit quod malum est coram domino sicut domus ahab. Genere enim domus ahab fuit. Abiit quoque cum ioram filio ahab, ad pugnandum contra azahel regem syriæ in ramoth galaad. Et vulneraueruntque syri ioram. Cumque reuersus esset vt curaretur in iezrahel, quia vulnerauerant eum syri in rama pugnante contra azahel regem syriæ. Porro ahazias filius ioram rex iuda descendit in visitare ioram filium ahab in iezrahel quia egrotabat.

Capitulum nonum

Heliseus autem propheta vocauit vnum de filijs prophetarum, et ait illi. Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua, et vade in ramoth galaad. Cumque ve